

augeatur. At hoc quoque fieri nequit. Nam ea seruare oportet, quæ ei quod accrescit, decrescit, ratione competunt. Hæc autem tria sunt. quorum primum est, magnitudinis quæ accrescit, partem quamlibet maiorem effici, verbi gratia, si caro carnis. Alterum, accedente quopiam. Tertium, seruato pariter atque manente eo quod accretionem subit. Nam, cum quippiam simpliciter, absoluteque gignitur aut interit, non permanet. At cum alteratur, aut accrescit decrescitque, quod alteratur aut incrementa suscipit, id permanet. verum illic affectio, hic magnitudo eadem non manet. Quod si mutatio illa, quam diximus, esse accretio, contingeret profecto quippiam nulla re accedente permanente accrescere, nullaque abeunte decrescere, id non manere, quod suscipit accretionem. At hoc, seruare oportet, quippe, cum accretio talis esse supponatur.

ANT. Tex. c. 111.

Sed nec sic contingit fieri ac generari dicere augmentationem & diminutionem, ut quædo ex aqua aer: tunc enim maior moles generata est. non enim augmentatio hæc, sed generatio quidem eius in quod transmutatur erit, corruptio autem contrarij, augmentatio autem neutrius. Sed aut nullius, aut, si aliquod commune amborum exiit, eius quod generatur, & eius quod corrumpitur, verbi gratia si corpus. aqua autem non aucta est, neque aer: sed hoc quidem deperit, hoc autem generatum est: corpus autem liquidum id ad auctum est. Sed & hoc impossibile. Oportet autem saluare rationem & existentiam eius quod augetur & diminuitur. Hæc autem tria sunt. quorum vnum est quæcumque partem maiorem esse eius quod augetur magnitudinis, verbi gratia si caro, carnis. Et aduenientem aliquid. Et tertium, vel saluetur & permaneat id quod augetur. Cum. n. generatur aliquid simpliciter & corrumpitur non manet idem. quod autem augetur aut alteratur, aut minuitur manet idem. Sed tamen hic quidem passio, hic autem magnitudo non manet eadem. Si itaque erit illi prædicta augmentatio, continget nullo adueniente neque manente augeri, & nullo recedente diminui, & non manere quod augetur: sed oportet hoc saluare: subiecta. n. est augmentatio talis.

Hæc tria sunt augmento necessaria.

Quæ ex aqua fit aer non est augmentum, sed generationem consequitur refactio.

Tria sunt in augmento attendenda.

Excludit quendam obiectionem. Possent enim aliquis dicere, quod augmentum fit nullo alio appposito. sicut, quæ ex aqua generatur aer, videtur esse quoddam augmentum: quia fit maior quantitas, sed per hunc modum non cõtinetur fieri augmentum seu diminutio: talis enim transmutatio non est augmentum, sed est generatio eius, in quod transmutatur, si aeris, & corruptio eius quod transmutatur, si aquæ contrarietate calidi & frigidi. Nõ autem potest dici augmentatio neque aeris, neque aquæ, sed nec vilius est augmentatio, vel erit augmentatio illius, quod est cõe vtriusque: si tamen aliquid sit tale, sicut corpus videtur esse aeri & aquæ commune, ut dicatur quod aqua non est augmentata, neque aer: quia aqua corrupta est, & aer generatus: sed corpus est quod augetur, si aliquid ibi augmentatum est: sed hoc est impossibile. Oportet enim ad hoc quod aliquid dicatur augeri quod saluetur ea, quæ sunt de ratione eius, quod augetur & diminuitur: quæ quidem sunt tria. Quorum primum est, & supra positum est, quod quælibet pars magnitudinis, quæ augetur, fiat maior, puta si caro augetur,

quod quælibet pars carnis sit maior. Secundum etiam supra positum est, quod aliquid aduenientem aliquid augetur. Tertium autem est, quod si nunc ponitur de nouo, vel, si id quod augetur conferuetur & permaneat in suo esse. Quia enim generatio & corruptio sunt transmutationes circa substantiam: cum simpliciter aliquid generatur vel corrumpitur non permanet eius substantia, pura circa qualitatem, aut quantitatem, & ideo, cum aliquid alteratur seu augetur vel diminuitur manet idem numero secundum substantiam. Sed hic quidem, si in alteratione, non manet eadem passio: sed in augmento & diminutione non manet eadem magnitudo, sed fit maior vel minor. Si ergo prædicta transmutatio, quæ ex aqua fit aer, esset augmentatio, sequerentur duo contraaria prædictis positionibus. Quorum vnum est, quod aliquid augetur nullo alio adueniente, & diminueretur nihil recedente. Aliud autem est, quod id, quod augetur non maneret, neque aqua, neque corpus, quod videtur esse commune, manet idem numero. Vnde etiam signanter supra dixit, si aliquid est cõe, quia, si nihil actu ens idem numero existens secundum substantiam, est cõe et quod corrumpitur & generatur. Oportet autem prædictas positiones saluare in omni eo quod augetur, hoc enim supponitur quasi principium: quod augmentatio fit talis transmutatio qualis supra dicta est. Sed videtur nihil prohibere aliquid augeri nullo adueniente, probat enim Philo sophus in Quarto Physico, quod sicut aliquid fit albus non super addito alio albo, sed per intentionem albedinis præexistens, in quantum, si subiectum reductur in actum perfectioris albedinis: ita etiam potest fieri aliquid maius absque additione alicuius corporis magnitudinem habentis, per hoc, quod materia, quæ prius erat sub paruis dimensionibus, postea fit facta sub maioribus. Nam idem est subiectum magnitudinis & paruitatis, sicut & albi & nigri, & hoc manifeste apparet in rarefactione. Rarefactio autem contingit non solum transmutata specie, puta cum ex aqua generatur aer de quo hic loquitur Aristoteles, sed etiam eadem specie manente, sicut fit aer rarefactus vel condensatus. Dicendum est autem quod talis transmutatio non potest proprie dici augmentum, sed alteratio, fit enim secundum transmutationem passibilium qualitatium, si rari & densi, variatio autem qualitates aut quantitatis se habet ex consequenti. Sicut ex motu, qui est secundum locum variatur motus secundum dextrum vel sinistram: nõ tunc dicitur motus secundum situm, quia variatio situs consequenter se habet ad variationem loci. Deinde cum dicit,

Alteratio autem & augmentatio sunt transmutationes circa accidentia.

Dubium. Tex. c. 84. s. Phy. 55.

Solutio. Rarefactio non est augmentum sed alteratio.

Sed quæret aliquis, quid est quod accrescit, utrum id cui nonnihil additur: verbi causa si quid crus augeat, crus ve maius euadit, quod autem incrementum præstat, ipsum, inquam, alimentum, minime: Sed cui non ambo incrementa suscipiunt: Nam tam quod additur quam cui additio fit, maius reddi assolet, hanc sententiam atque eam aquæ vinum misceris: pari enim ratione vtrunque maius est.

Quæret autem aliquis: & quid est quod augetur, vtrum cui apponitur aliquid, aut quod apponitur. ver. g. si crus quod augetur, hoc fit maius, quod aucti augetur, cibus nõ. Quare igitur nõ ambo aucti sunt: Maius enim quod apponit & cui, quemadmodum & quando miscens vinum aquæ: similiter enim maius vtrunque.

Mouet autem aliam quæstionem, & primo proponit eam, secundo soluit eam. ibi: Aut quæ huiusmodi. Dicit ergo primo, quod cum augmentum fiat aliquo superaddito, remanet quæstio, quod est id quod augetur: vtrum, si id, cui apponitur, aut quod apponitur: vel potius augetur vtrunque. Verbi gratia, cruri alicuius animalis apponitur aliquid, si cibus: vtrum ergo crus augetur & fit maius, cibus autem, qui apponitur vel additur, nõ augetur, sed augetur: quare ergo ambo nõ augmentata sunt: vtrunque enim non

VAT AB.

ANT. Tex. c. 134.

Alia quæstio.

non